

CAPUT II.

Demonstratur, quod sancta Dei Ecclesia usque ab initio,
ex Apostolorum preecepto, pro abolitione pravorum Librorum sollicita fuit.

Ecclesia
et Pontifex
possunt li-
bros prohi-
bere.

1. — Communiter theologi tradunt, dogma esse veritatemque fidei, quod Ecclesia, et pro ipsa, ejus caput Romanus Pontifex, utpote Christi vicarius, jurisdictionem ab ipso Domino acceperit prohibendi fidibus lectionem librorum, sive de religione impie tractantium, sive contra bonos mores, aut Ecclesiae disciplinam aliquid continentium. Suarez¹, card. Albiatus²; Charles³; Braschius⁴; Anonymus⁵. — Evidet, si haec facultas penes Ecclesiam non esset, et fideles in hoc parere illi non tenerentur; nec fides illaesa servari posset, nec Christus satis Ecclesiae suae providisset: *Frusta Ecclesia, bene ait Baronius⁶, laboraret in haeresibus extirpandi, bonisque moribus fovendis, nisi unde scatet errorum ac vitiorum colluvies, fons penitus obstrueretur.* Patet equidem, quod cura et jus removendi e manibus fidelium noxios libros, specialiter Ecclesiae competit: illi enim soli datum est, de fidei et morum causis decernere, ovibusque suis bona pascua ad pascendum designare. — Recte hinc docent doctores (vide Honoratum Tournely⁷), quod Ecclesiae circa libros censura, seu judicium, sit omnino infallibile: *Ecclesiae enim vero (ut ait Natalis Alexander⁸), cum samam doctrinam ab haeretica iudicio suo discernere datum sit a Christo, et cum quaelibet doctrina libris aliquibus contineatur; operaे pretium erat, ut Ecclesia, in iudicio quod de libris, in quibus de fidei et moralis christiana quaestionibus agitur, tulerit, non*

posset deficere. Nemo quippe pastorem illum censemt idoneum ad oves pascendas, qui noxia pascua a salutaribus certo distinguere non posset. Inepte igitur Ecclesiae fidelium cura esset demandata, si certa scientia ad libros rectae vel improbae doctrinae dijudicandos, ipsi tributa non fuisset.

2. — Quod autem mos Ecclesiae prohibendi et abolendi pravos libros sit ex traditione et preecepto Apostolorum, plura demonstrant.

Primo enim constat, hanc disciplinam semper et ubique in Ecclesia viguisse, quin aliquis Pontifex aut concilium possit indicari, a quo ipsa initium sumpserit. — Dicit Origenes⁸: *Si... judicaretur... de his... qui, diversa ab Ecclesiis docentes, divinae vindictae pertulerint ultionem, nonne judicarent, ut si quid... scriptum reliquerunt, universa pariter cum ipsorum cineribus deperirent?* Ergo, jam ex tempore Origenis, mos vigebat erronea scripta extirpandi. Sensus Ephremi, Tertulliani et Cypriani, jam supra exposuimus. Alexander Alexandrinus⁹ (qui vixit tempore concilii Nicaeni), enarratis damnis quae fidei inferebant haereticorum libri, dicit scripta illa se suspicere non potuisse. Apud Theodoretum et apud Baronium. — Idem testantur Arnobius apud Baronium¹⁰, S. Athanasius¹¹ apud Braschium, Socrates¹² et historici omnes, recenter conversos ab haeresi nusquam fuisse in Ecclesia receptos, nisi postquam cun-

¹ De Fide, disp. 20, sect. 2, n. 4 et 8. — ² De Inconst. in fide, cap. 30, n. 148 et 152. — ³ De Libertatib. Eccles. gallic., lib. 10, cap. ult., n. 3. — ⁴ De Libert. Eccles., tom. 3, cap. 26, n. 6 et 12. — ⁵ Is est Albizi, Rispost. all' historia dell'Inquisit. di F. Paolo, § DichiaraZ, delle regole dell'Indice. — ⁶ Praelection., de Ecclesia, qu. 5, art. 3. —

⁷ Histor. Eccles., saec. VI, diss. 5, v. f. — ⁸ In Numer., homil. 9, n. 1. — ⁹ Epist. ad Alexand. Constantinop., n. 18. — ¹⁰ Theodoret., Histor. eccl., lib. 1, cap. 3. — ¹¹ Baron., ad ann. 318, n. 85. — ¹² Annal., ad ann. 303, n. 64. — ¹² Orat. de Incarnat. Verbi, n. 55. — ¹³ Braschi, loc. cit., n. 7. — ¹⁴ Histor. eccles., lib. 1, cap. 36.

I. — ^{a)} Genuinus Baronii textus, *ad ann. 447, n. 8*, sic sonat: «*Frusta laborare in extirpandis haeresibus sanctos episcopos, nisi unde*

semel scaturit faeculaenta errorum colluvies, fons penitus obstruatur.» Cujus utique sensum fideliter retulit S. Alphonsus.

Usus li-
bros prohi-
bendi sem-
per viguit.

ctos codices quos haberent, ultro concremandos detulissent. Item Nazianenus¹ notat, S. Cyprianum non aliter receptum fuisse, nisi cum attulerit plures libros comburendos. S. Augustinus idem confirmans, de quodam haeretico loquens, sic scriptis: *Perierat ergo iste; nunc quaesitus, inventus, adductus est. Portat secum codices incendendos, per quos fuerat incendendus; ut, illis in ignem missis, ipse in refrigerium transeat.* — Idem tradit S. Joannes Damascenus apud Beyerlinck² de quodam Theuda. — Praeterea, in Apostolicis Constitutionibus³ sic habetur: *Abstine ab omnibus libris gentilium. Quid enim tibi cum alienis sermonibus, aut legibus, aut falsis prophetis, quae quidem homines levæ a fide recta detorquent?*

3. — Constat igitur, juxta receptam Augustini⁴ regulam, morem cavendi ab impiis libris, ipsosque concremandi, ab Apostolis demanasse. — S. Paulus enim dixit (Rom. xvi, 17): *Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos, qui dissensiones et offendicula, praeter doctrinam quam vos didicistis, faciunt; et declinate ab illis.* Idem Apostolus sic monuit Timotheum (I. vi, 20): *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae. Significavit hic Apostolus principia Gnosticorum, et falsas doctrinas Simonis, Nicolaitarum aliorumque haereticorum aevi illius; admonens Timotheum, ut se et fideles ab eis removeret. — Item eidem scripsit (II. Tim. ii, 16 et seqq.): Profana autem et vaniloquia devita; multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit; ex quibus est Hymenaeus et Philetus, qui a veritate exciderunt..., et subverterunt quorumdam fidem.* Illud devita importat quidem cavere non tantum a sermone, sed etiam a scriptis haereticorum. — Atque si Apostoli fidelibus praeceperunt ne quidem ave dicere haereticis (II. Joan. 10);

¹ Orat. 24, in laud. S. Cypriani (martyr. Antioch.), n. 12. — ² In Psalm. lxi, n. 23. — ³ S. Ioann. Damasc., de Barlaam et Josaphat histor., cap. 32. — ⁴ Theatr. mundi, tom. 4, v. Liber, § Curiosos, superstitiones, etc. — ⁵ Lib. 1, cap. 6. — ⁶ De Baptismo, lib. 4, cap. 24, n. 31. — ⁷ Apolog.

4. — ^{a)} Edictum istud inscribitur: « Mennae, sanctissimo et beatissimo archiepiscopo

quanto magis putandum, jussisse cavere ab eorum codicibus; dum nulla pejor cum haereticis potest esse communicatio, quam in legendo eorum scripta?

4. — Tandem, quod mos ille avertendi fideles a scriptis impiorum hominum, ab ipsis Apostolis fuerit inductus, constat ex Actis Apostolorum (xix, 19 et 20), ubi legimus: *Multi autem ex eis qui fuerant curiosi sectati, contulerunt libros et combuserunt coram omnibus; et computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta milium. Ita fortiter crescebat verbum Dei, et confirmabatur.* — Valde insipiente ait Piceninus⁸, textum hunc non jam intelligi de libris haereticis, sed de curiosis et sortilegis. At si, respondeatur, Apostoli opus esse judicabant libros sortilegos concremari, quanto magis haereticos? Sed quidquid deliret Piceninus, S. Augustinus testatur ut certum⁹, quod omnes sectarii, cum in Ecclesia recipientur, ad pedes Apostolorum suos codices afferebant, ut cremarentur: *Nostis, inquit, in Actibus Apostolorum esse scriptum, quia multi perdi, id est talium artium homines, doctrinarum nefariarum sectatores, omnes codices suos ad Apostolos attulerunt, et incensi sunt libri tam multi.* Ipse impius Lutherus non renuit scribere: *Est veteris exempli et antiqui moris, infectos et improbos codices comburendi: quemadmodum legimus in Actis Apostolorum.* Idem faciendum scribit S. Cyprianus, de libris mordacibus¹⁰: *Si quando talia quorundam calumniosa temeritate conscripta sunt, legi apud nos non patimur.* Idem scripsit Justinianus Imperator de libris haereticis, in suo Edicto ad populum Constantinopolitanum¹¹:

5. — Sed praestat nunc exemplis rem hanc magis elucidare. — Quamvis videbatur de se permittendum Ecclesiae pastoribus, pro necessitate et tempore, libros haereticorum legere, ut eos confutare va-

Etiam patriarchae ex sola necessitate legebant libros noxiros.

per i. reformati, etc., cap. 19, n. 7. — ⁷ In Psalm. lxi, n. 23. — ⁸ Opusc. Quare Pontificis Romani, etc. libri a Doct. M. Luthero combusti sint, init. — ⁹ Epist. 42 (ad Cornel. Papam 2^o), n. 2; ap. Migne, Patrol. lat., tom. 3, col. 706. — ¹⁰ Justinian., Novella 42, cap. 1, § 2.

et universalis patriarchae», ut habetur in ipso Novellae titulo.

lerent, juxta concilium Carthaginense IV¹; attamen primis Ecclesiae saeculis, iidem patriarchae ab hujusmodi operum lectione se cavebant; vel, cum esset necessitas, non sine magno legebant timore: *Ego vero (scribit Dionysius, Alexandrinae ecclesiae patriarcha) in libris et traditionibus haereticorum cognoscendis operam posui; execrandis quidem illorum sententiis animum meum tantisper coquinans; hanc tamen ex eis utilitatem percipiens, ut illos tacitus apud me refutarem, multoque magis quam antea detestarer. Et cum frater quidam ex presbyterorum ordine prohiberet me, veritus ne forte nequitiae illorum coeno commiscerer, quippe animum meum contaminatum iri ajebat, et quidem verisime, ut ipsem sentiebam, visione coelitus missa confirmatus sum.* Ita apud Eusebium².

Attende: quamvis Dionysius patriarcha existeret tam magnae ecclesiae, et libros haereticorum tantum ad eos confutandos inspicaret; tamen ex lectione animum suum nonnihil inquinationis aut saltem perturbationis attraxisse fatetur. — Et quod magis mirum est, licet Dionysius esset vir tanta sanctitate et doctrina praeditus (ipse enim expulit Kiliastarum errores, et Nepotis eius episcopi libros exposuit; ipse primus Sabellii haeresim debellavit, et de ea Sextum Papam reddidit certiorum; ipse contra Novatianos felicissime disputavit, ac Fabium Antiochenum mox in eumdem errorem prolapsurum sustinuit; ipse scriptis confutavit etiam Paulum Samosatenum, Nepotianos aliquos haereticos): et tamen, his non obstantibus, ut refert Eusebius³, fideles, cum noverint Dionysium libros haereticorum evolvere, magnum scandalum passi sunt; imo de hoc apud Pontificem eum accusarunt,

¹ Can. 16, apud Labbe, tom. 2, col. 1438. — ² Hist. eccl., lib. 7, cap. 7. — ³ Histor., lib. 6, cap. 17. — ⁴ Comment. in constit. Valde Gelasii I, sect. un., n. 1. — ⁵ Epistolar. lib. 6, indict. 14, epist. 66, apud Migne, Patrol. lat.

5. — ^{a)} Res ita narratur ab Eusebio; afferit nempe in sua Historiae ecclesiast. lib. 7, cap. 7, quondam Dionysii Alexandrini epistolam, in qua sanctus ea de se ipse scribit, quae superius S. Alphonsus attulit; sed aliud non habet de haereticorum librorum lectione.

et Pontifex reprehendit, ac prohibuit ne haereticorum lectionem prosequeretur, ubi suis offendiculum preeberet.

Praeterea narrat Socrates⁴, quod Theophilus, ejusdem Alexandrinae ecclesiae patriarcha, vir doctissimus, cum perlegisset Origenis libros de Principiis (quos ipse omnium primus damnavit), non modo a suis objurgatus est; sed in concilio damnatus, ubi excusationes ab eo allatae nequaquam admissae fuerunt.

6. — Usque ab Ecclesiae primordiis, hoc ipso quod aliquod opus ab haeretico nosceretur conscriptum, etiam nulla emana speciali prohibitione, illud legere (saltem generaliter loquendo) vetitum erat. Sic respondit S. Gregorius Anastasio, patriarchae Antiocheno, interroganti, an damnato quodam haeretico, omnia ejus opera statim damnata habenda essent⁵.

Vide card. Petra⁶. — Praeterea, cum in domo cuiusdam Athanasii presbyteri, monachi in Isauria, inventus fuisset codex, in quo errores aliqui contra fidem continabantur; Joannes episcopus, damnato codice, ipsum a monasterio expulit, transmisitque acta ad S. Gregorium, qui rem probavit. Sed cum Athanasius asservisset ignoranter legisse, Gregorius ei redditum ad monasterium concessit, expresse tamen prohibens illius operis lectionem⁷. Hinc notant editores e Congregatione S. Mauri⁸, antiquam jam fuisse apud Romanos Pontifices, libros proscribendi protestatem et disciplinam; cui parere etiam Orientalis Ecclesiae patriarchae, et alii tenebantur.

7. — Hinc etiam illud eruitur, eos qui haereticorum libros legissent vel habuissent, semper reputatos fuisse de haeresi suspectos, ac ut tales puniri potuisse. Vide Archidiaconum, Joannem Andream⁹, Ana-

⁶ Legentes libros haereticos, suscepti de haeresi.

⁷ Can. 16, apud Labbe, tom. 2, col. 1438. — ⁸ Hist. eccl., lib. 7, cap. 7. — ⁹ Histor., lib. 6, cap. 17. — ¹⁰ Comment. in constit. Valde Gelasii I, sect. un., n. 1. — ¹¹ Epistolar. lib. 6, indict. 14, epist. 66, apud Migne, Patrol. lat.

6. — ^{a)} Gregorii textus est: « Cum Coelestius atque Pelagius in ea [Ephesina] synodo sint damnati, quomodo poterant illa capitula recipi, quorum damnabantur autores». Et habetur inter epistolas S. Gregorii Magni, lib. 9, indict. 2, epist. 49, apud Migne, Patrol. lat.,

Libri haereticorum semper igni damnati.

niam¹, Rojas²). — Et quod tandem, in primis Ecclesiae saeculis, omnia haereticorum scripta fuerint igni damnata, ex eo eruditae demonstrant, quod cuncta sic perierint, ut omnium pene haereticorum ne nomina quidem hodie haberentur, nisi illorum Ecclesiae Patres meminissent. Ubi sunt enim Arianorum innumeri libri, Orientem replete? Ubi plura volumina Apollinaris, Celsi, Manetis et Gnosticorum? De illis omnibus factum est id quod dixerunt Patres concilii Constantinopolitani II³: *Haereticorum quidem effraenatas lingua, et eorum impissima conscripta... patri mendaci diabolo connumerantes, illis dicemus: Ecce omnes vos... convalescere facitis flamمام ignis: ambulatis in lumine ignis vestri, et per flamمام quam accendit.*

8. — Hie etiam sedulo notandum id, quod tradunt Baronius⁴, card. Albitius⁵, Braschius⁶, Ludovicus Bail⁷ et alii, nimirum quod ex primis Ecclesiae saeculis mos fuit, ut quilibet libros suos subjiceret examini et censurae Summi Pontificis; prout fecisse testantur in Occidente Caesarium Arelatensem, S. Honoratum, Gennadium et alios. — Fecit et episcopus Possessor, qui, cum de codicibus suis, quos ad Hormisdam pro examine et correctione direxerat, responsione non dignatur, sic illum interpellavit⁸: *Codicem quoque tractandum [tractatum] antehac direxisse memini, continentem B. Pauli Apostoli epistolarum explanationes, pro quo rescripto gratulari non merui. Unde simili prece deposco, ut praerogativam benedictionis vestrae competenti responsione merear adipisci.* — Fecit et Ansel-

¹ Joannes ab Anania, in cap. *Si quis episcopus, de haereticis.*, n. 6. — ² Collatio 8, prima sententia concil., i. f. Celebratum anno 558, sub Vigilio; vide Labbe, tom. 6, col. 206. — ³ Ad ann. 490, n. 43, 44 et 47. — ⁴ De Inconst. in fide, cap. 30, n. 155. — ⁵ De libert. Eccles., tom. 3, cap. 26, n. 13. — ⁶ Sum. concilior., tom. 1, pag. 412, concil. Late-

mus, prout constat ex ejus praefatione ad Urbanum II libri *de Fide Trinitatis, etc.* — Idem fecit S. Augustinus⁹, quoad libros suos contra Pelagianos, quos ad S. Bonifacium transmisit.

Idem fecerunt Orientales, prout Dionysius Alexandrinus, Joannes Orthodoxus, Photius et alii; praesertim Eulogius, patriarcha Alexandriae, scripta sua censurae S. Gregorii submittens, ut appareat ex ejusdem Gregorii epistola¹⁰.

9. — Item inter scripta Abbatis Joachim chartula inventa fuit anno 1200¹¹, ipsius manu subscripta in qua ista leguntur: *Universis quibus literae istae ostensae fuerint..., aeternam in Domino salutem.... Quia vero pro angustia temporum, non potui hucusque opuscula ipsa, praeter librum Concordiae, Apostolico culmini praesentare, ut ab ea corrigentur; ... si me contigerit prius egredi ex hac luce quam possum..., siquidem ea conditione suscipi dictanda, ut... ei cui datum est omnimode magisterium praesentarem. Rogo ex parte Dei omnipotens coabbates meos et priores..., et ea quae posse videtur auctoritate praecipio, quatenus praesens scriptum aut exemplar habentes secum, ac si pro testamento opuscula... (quam citius poterint) collecta omnia, relictis in salva custodia exemplaribus, Apostolico examini repraesentent, recipientes ab eadem Sede, vice mea, correctionem...; abjiciens quod ipsa abjicit, suscipiens quod suscepit ipsa, etc.* Apud Natalem Alexandrum.

10. — Item, S. Julianus, Toletanus episcopus, circa annum 685 subjecit examini Benedicti II Apologiam suam adversus

ran. III. — ⁷ Relatio Possessor. episc. ad Hormisdam. Habetur ap. Migne, Patrol. lat., tom. 63, coll. 489 et 490, ante epistol. 70. — ⁸ Contra duas epist. Pelagianor., lib. 1, cap. 1, n. 3. — ⁹ Epistolar. lib. 10, indict. 3, epist. 35 et 39; ap. Migne, Patrol. lat., tom. 77, coll. 1091 et 1098. — ¹⁰ Natal. Alexand., Hist. eccl., saec. XIII et XIV, diss. 2, n. 1.

tom. 77, col. 981; et refertur in cap. *Fraternitatis tuae 4, de haereticis.*

7. — ^{a)} Rojas, in suis *Singular. juris in favorem fidei, singul. 124*, hanc profecto sententiam tuerit, sed eam his verbis explicat: «Quorum doctorum opinio intelligenda est, quando libri haereticorum compositi fuerunt ab his apud quos fuerunt inventi...; secus esset,

si essent reperti apud virum doctum, sacerdotum, et nullatenus de haeresi suspectum».

9. — ^{a)} Res ista modo aliquantulum diverso habetur apud Natalem Alexandrum; refert enim, loc. cit., cedula ipsam, quae his verbis concluditur: «Hoc scriptum feci ego Joachim Abbas, et propria manu roboravi, anno Dominicae Incarnationis 1200».

obtrectatores concilii VI universalis. Pontifex in ea nonnulla reprobavit; quae, cum iterum recte explicasset Julianus, ac iterum opus cum explicatione ad Sergium Papam transmississet, Sergius opus approbavit, et aliis legendum indixit. Natalis Alexander¹. — Refert Baronius² de quadam Gothofrido, qui fuit notarius Conradi III et Friderici I ac Henrici VI, quod iste, quamvis esset in curia praefatorum principum, tam adversantium Ecclesiae juribus; tamen pro certo habuit, Romanorum Pontificum proprium esse libros recognoscere et approbare. Sed praestat hic ipsum audire Gothofridum, qui in praefatione ad opus suum *Chronicum*, quod anno 1186 transmisit ad Urbanum III, sic scripsit: *Si quod Historiarum opus... conficitur, ratio suggerit, ut, antequam in publicum deveniat, Apostolico examini praesentetur... Eapropter... hoc opusculum... ante vestrum examen perferre disposui vestraeque gratiae praesentare curavi, ut, si... per Vos fuerit approbatum, ad alias ecclesias ulterius derivetur.* — Item Patres synodi Suevensis anno 1120, sanxerunt, libros Petri Abaelardi³, hoc ipso damnatos reputando, quod Romani Pontificis aut Ecclesiae auctoritate commendati non apparent⁴. — Sic etiam Nicolaus Papa, cum

¹ Op. cit., saec. VII, cap. 3, art. 20. — ² Ad an. 1186, n. 22 et 23. — ³ Gothofrid., ap. Baron., loc. cit.; cfr. etiam Migne, Patrol. lat., tom. 198, col. 877. — ⁴ Epist. Abaelardi 1, ad Amicum, cap. 9; ap. Migne, Patrol. lat., tom. 178,

col. 149. — ⁵ Nicolaus I, epist. 115, ad Carolum (Calvum) regem; ap. Migne, Patrol. lat., tom. 119, col. 1119. — ⁶ Can. Si Romanorum 1, dist. 19. — Leo X, const. Inter sollicitudines; cfr. Regulam Indicis x. — ⁷ Archiv., tom. 17, tit. 7.

10. — ^{a)} Scilicet librum Abaelardi *de Unitate et Trinitate divina.*

^{b)} Nicolaus Papa in suis litteris loquitur de opere S. Dionysii, «quod de divinis nominibus vel caelestibus ordinibus graeco descripsit eloquio», quodque Scotus Erigena in latinitate verterat.

II. — ^{a)} Ex constitutione *Officiorum*, ecclesiasticae censurae illi dumtaxat libri hodie subjiciendi sunt, qui divinas Scripturas, sacram theologiam, historiam ecclesiasticam, ius canonicum, theologiam naturalem, ethicas, alias hujusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciant, ac generaliter scripta omnia, in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit (Constit. *Officiorum*, tit. 2, cap. 3, n. 41). Quoad poenas, vero contra transgressores, constitutio *Apostolicae Sedis* jam sanxerat excommunicationem ipso facto incurriendam, ac Romano Pontifici speciali modo reservatam, contra eos qui libros

Scotus Erigenas circa medium saeculum IX volumina traduxisset S. Dionysii, S. Maximi et aliorum, sine Ecclesiae approbatione, eum acriter increpavit, dicens: *Quod juxta morem Nobis mitti, et nostro debuit judicio approbari.* Et ideo praecepit statim scripta illa transmitti⁸.

Tandem, ad hoc probandum, unum sufficit decretum Nicolai I⁴, ubi dictum fuit: *Romanorum Pontificum decreto, ceterorum opuscula tractatorum approbantur vel reprobantur.*

11. — Romani igitur Pontificis olim semper fuit praesidere arbitrium librorum omnium. — Sed, ubi in immensum excrevit moles librorum, statuit Leo X anno 1515, constitutione probata in concilio V Lateranensi, et deinde confirmata in regulis *Indicis*, ut non vulgentur libri cujusque generis absque licentia et approbatione Ordinariorum vel Inquisitorum, sub poena amissionis librorum, et suspensionis, ac excommunicationis pro editoribus⁹; qui, si in excommunicatione ultra annum permanserint, erunt acriter puniendi. — Et notandum quod praeodata constitutio Leonis jam reperitur adnotata in archivo regiae jurisdictionis in regno Neapolitano; ut refert Bartholomaeus Chioccarellus⁵.

⁸ Op. cit., saec. VII, cap. 3, art. 20. — ⁹ Ad an. 1186, n. 22 et 23. — ¹⁰ Gothofrid., ap. Baron., loc. cit.; cfr. etiam Migne, Patrol. lat., tom. 198, col. 877. — ¹¹ Epist. Abaelardi 1, ad Amicum, cap. 9; ap. Migne, Patrol. lat., tom. 178,

apostatarum et haereticorum haeresim propagantes, necnon libros cuiusvis auctoris per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos imprimunt. Sed praeter hanc censuram, quam constit. *Officiorum*, n. 47, simpliciter innovat, bulla *Apostolicae Sedis* excommunicationem nemini reservatam sanxerat etiam contra eos, «qui libros de rebus sacris tractantes, sine Ordinarii approbatione imprimunt aut imprimi faciunt». Hanc vero ita restringit seu explicat constit. *Officiorum*, n. 48: «Qui sine Ordinarii approbatione sacram Scripturarum libros, vel earumdem annotationes vel commentarios imprimunt aut imprimi faciunt, incident ipso facto in excommunicationem nemini reservatam». Demum, n. 49, habetur: «Qui vero cetera transgressi fuerint, quae his decretis generalibus praeципiuntur, pro diversa reatus gravitate, serio ab episcopo moneantur; et si opportunum videbitur, canonice etiam poenis coercentur».